



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.18. S. Willehadii fuga.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

eam etiam e fonte suscepit, baptizari voluit. Sæcul. VIII.
A. C. 782.

§. XVIII.

S. Willehadii Fuga.

Anno sequente septingentesimo octogesimo secundo Saxonibus, Auctore Witichindo, rursus seditiose Neophytos, furiosius vero Presbyteros, qui ad eos convertendos adlaborabant, persequentibus S. Willehadius itinere maritimo fugiens in Frisiam delatus est. Tunc ergo Barbari acrius in ejus Discipulos accensi Folcardum Presbyterum cum Comite Emingo in Regione Leriensi, Benjaminum vero & Atrebanum in aliis locis, & Gervasium cum Sociis suis Bremæ trucidant. Igitur S. Willehadius videns se in Saxonia pro fide jam nihil agere, Romam profectus ad limina SS. Apostolorum ferventi oratione afflictam Ecclesiam suam Deo commendabat, rogans, ne tota periret. In conspectum admissum & in Franciam rediturum Patris affectu solatus est Pontifex. Narratur miraculum, quod in eo itinere contigit, nam scutella lignea, quam Viro Sancto ad mensam apponere minister solebat, subito fracta, jubente ipso allata, reperta est integra. Ex eo facto saltem constat S. Willehadium paupertatis amatorem extitisse. In Germaniam re-

*Ann. Pet.
Loisel. Fuld.
vit. S. Willehadii. c. 6. to. 4.
Ait. BB.
p. 407.*

t. 7.

ver-

Sæcul. VIII.
A. C. 782.

versus in Monasterium tunc *Esternach* hodie Epternacum dictum in Dicecesi Trevirensi, a S. Willebrordo fundatum, se recepit. Cumque ipsius Discipuli persecutione in diversa sparsi illuc ad Patrem suum se collegissent, singulos ad constantiam animi exhortabatur. Duos annos in solitudine illius Monasterii commoratus transcribendis libris operam dedit, quos, & inprimis S. Pauli Epistolas, Episcopi Successores ipsius maximi fecerunt, & diligenter asservarunt.

§. XIX.

S. Ludgeri pueritia.

vit. S. Lud. Seditio a Witichindo mota in Frisiam quoque pervasit, ubi Saxones Ecclesias incenderunt, & Presbyteris usque ad Flevum annum depulsis Frisones Jesu Christo renunciare, & Patrum suorum more Idolis sacrificare coegerunt. Sub idem tempus Alberico Episcopo Ultrajectensi fatis functo, Ludgerus tunc illius Ecclesiæ Primicerius compulsus est fuga sibi consulere. Natus erat Ludgerus in eadem Regione nobili genere utroque parente Christiano; quippe matris ejus vita singulari Dei Beneficio fuerat conservata. Habuerat Ludgeri Mater aviam paganam, quæ impatientissime ferens, quod filius suus ex uxore tantum foeminas fusciperet, recens natam, priusquam